



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Dub. VII. Vtrum sit probabilis opinio, quæ assertit essentiam divinam in ratione speciei uniri intellectui creato in ista suprema contemplatione?

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Objectiones.

sed etiam intelligibilitas hujus speciei est imperfecta, non enim est perfecte intuitiva, nec quidditativa, nec clariter, &c.

Objectiones primò: species representativa DEI immediate & objective, non potest non concurrere ad cognitionem immediatam quidditativam, & intuitivam, sed hæc non datur extra visionem beatam, ergo, &c. *Secundo:* essentia DEI est ipsamet intelligibilitas sui: ergo non potest reddi intelligibilis per aliquam speciem. *Tertio:* ista species in esse representativo nec convenit cum DEO analogice tantum, alioquin per quoslibet effectus creatos posset DEUS sic cognosci; nec univoce, & genericè, quia DEUS non est sub genere cum aliqua creatura, nec etiã univoce, & sub ratione atomi, quia sic esset perfectè, & quidditative representativa DEI. *Quarto:* quia quocumque modo representet DEUM, debet esse ejusdem immaterialitatis cum DEO, siquidem naturaliter & primario eum representat, ac proinde etiam in quarto gradu immaterialitatis essendi suum esse per modum actus purissimi, quod soli DEO convenit, ergo, &c. *Quinto:* quia DEUS quocumque modo sumatur, est ens incircumscriptum continens in se quiddam potest intelligi: omnis autem species creata est limitata & determinata; ergo nullo modo potest DEUM representare.

Respond.

Ad primam respond. ex Dionysio Carthus. in comment. ad Areopagitam qu. 3. representationem hujus speciei, & cognitionem, quæ sequitur: ex ea, posse appellari quidditativam lato modo, & improprie per hoc solum, quod aliquo modo sit cognitio quidditativa; nam ad cognitionem proprie quidditativam requiritur, quod cognoscatur objectum quoad omnes rationes, etiam atomas. Et licet sit abstractiva simpliciter, posse tamen aliquo modo etiam & improprie dici intuitivam, quatenus DEUS per eam objective & immediate cognoscitur, quoad essentialia, & propria sua, quamvis non clarè & distinctè, prout est in seipso, quod requiritur ad perfectè intuitivam.

Ad secundam distinguo antecedens; est ipsamet intelligibilitas sui perfectè & denudata ab imperfectionibus, concedo. involvès necessario imperfectionem, nego. Unde neganda consequentia quia species ista, quæ solum reddit DEUM nobis intelligibilem pro hoc statu quoad an est, & confusè solum quoad quid est imperfectionem involvit; quæ non potest esse compere essentialis divinæ secundum se.

Ad tertiam respond. hanc speciem quo ad minus representandi DEUM, & perfectiones ejus, quoad an est clarè, & quasi evidenter, non est necesse habere ullam ex prædictis convenientiis in esse representativo, quia sic solum certificat de perfectionibus illis, & non illas representat, solum tanquam species creata debet habere convenientiam analogam creaturæ cum DEO. Quæ quidem claritas tanta est, ut dissentit S. M. N. TERESIA se cognoscere in hac contemplatione adeo evidenter mysterium Trinitatis, ut posset disputare cum omnibus hæreticis, & convincere eos. Quo ad minus autem representandi confusè DEUM quoad prædicata communia, puta, entis, substantiæ spiritualis, & intellectivæ, cum addito infinito & incomprehensibiliter, quomodo fiunt prædicata propria DEI, sed temper sub confusione & obscuritate respectu infinitatis, & incomprehensibilitatis, si primario ista representat, haberet quidem identitatem cum DEO in esse representativo confusè, non Petrus à longe vitius moveri, & non expressè cognitus ut Petrus, nec ut homo est

idem cum seipso in ratione, quæ cognoscitur, scilicet, substantiæ, corporis, viventis & animalis. Sed si ista species solum secundario DEUM sic representet, sufficit habere cum DEO convenientiam analogam, & confusam, perfectiorem tamen & expressiorem, quam alia creatura, ut pore, ad hoc munus producta à DEO, nec aliud objectum representans.

Ad quartam distinguo maj. ejusdem immaterialitatis cum DEO, ut præcise representatur in specie, transeat; ut est in se, nego; in specie autem non representatur expressè ut actus purus, quæ est immaterialitas propria DEI, sed secundum gradus communiores, in quibus aliquo modo convenit cum creaturis, & aliquo modo convenit illis in gradu immaterialitatis, puta, habendi esse omnino separatum à materia, sicut rei spirituales, abstrahendo ab hoc, an etiam sit separatum ab omni potentialitate. Dixi transeat maj. quia illa convenientia in immaterialitate solum petitur in speciebus, quæ primario ordinantur ad representandum objectum, hoc autem munus potest esse secundarium in hac specie.

Ad quintam distinguo maj. est aliquid incircumscriptum in se à parte rei. Concedo, ut præcise representatur in specie, nego. representatur enim confusè quoad prædicata propria DEI, saltem in modo habendi illa infinite, incircumscriptè & tanquam actus purissimus. Unde non est necesse, quod ista perfectio essendi incircumscriptè conveniat speciei.

D V B I V M VII.

Verum probabilis sit opinio, quæ asserit essentialiam divinam loco speciei impressæ uniti intellectui creato in ista suprema contemplatione Theologia mysticæ?

TANquam probabilior sequitur hanc opinionem P. Philippus à SS. Trinitate in summa myst. Theol. 3. part. Tr. 1. disc. 2. art. 1. prope finem, & alius in locis, ubi dicit esse aliorum etiam Auctorum. Quibus possumus addere P. N. Petrum à JESU MARIA in Apocal. Tom. 1. cap. 4. sect. 4. num. 1. ubi hoc expressè docet, & plurius testimonio sacre Scripturæ, & Patrum, per totam lectionem, & sequentiam confirmat. Ex quo non sequitur, quod anima videat DEUM clarè & intuitivè prout est in se, ut constabit ex rationibus adducendis; ex quibus, & ex solutione argumentorum non mihi videtur opinio improbabilis, & saltem de possibili non video repugnantiam adeo claram, quæ convincat, non posse essentialiam divinam sic uniti per modum speciei intellectui creato ad contemplationem, & cognitionem aliquam perfectissimam infra visionem claram.

Probatur ergo primò, quia non est improbabile, quod defendit schola Scoti, posse essentialiam divinam ita uniti cum intellectu in ratione speciei, ut non uniantur personæ, nec videantur ex vilibus visionibus; ergo saltem cum hac probabilitate, & à fortiori poterit essentialia uniti imperfectè, ut non videatur clarè, & intuitivè sicut in patria. Probatur consequenter, quia ratio, quæ impugnatur ista sententia Scoti, fundatur in perfectione visionis claræ, intuitivæ, & quidditativæ, cum quæ non compatitur videre essentialiam,

non

non visis personis: & magis videtur repugnare, quod essentia divina clarè, & distinctè repræsentet se ipsam occulando personas, quàm quòd confusè tan tùm se, & personas repræsentet: non ex defectu medi, seu essentia repræsentantis, sed luminis, quo nititur in effectui.

Probatur secundo, quia lumen illud quo elevatur & completur intellectus ad hanc mysticam visionem, est quedam participatio luminis gloriæ, ut admittunt Auctores mystici saltem recentiores; ergo ex qua parte est participatio talis luminis, disponit intellectum, & petit quòd essentia DEI illi uniat per modum speciei intelligibilis; & ex qua parte est deficiens, & imperfectus ipso lumine gloriæ; pe it, quòd essentia non uniat ita perfectè sicut in gloria, sed deficienter, ita ut videatur essentia DEI in se immediate, sed confuso, & obscuro modo, non clarè & perfectè sicut in patria.

Confirmatur primo, quia lumen gloriæ, quod est in patria per modum habitus, potest in via communicari per modum actus transeuntis, ut DEUS clarè & distinctè, sed transeunter videatur; & ergo non est cur non possit etiam taliter eorum uniri, si solum tribuat facultatem videndi DEUM confusè, imperfectè, & obscuro.

Confirmatur secundo, quia lumen gloriæ ita communicatur Beatis post meritum, ut omnes videant essentiam DEI, sed nullus comprehendat, & unus magis videat, quàm alius; & potest videri essentia, quin videatur decem libera, vel effectus existens in aliqua differentia temporis; ergo per participationem talis luminis imperfectus debet uniri, quàm per minimum lumen in patria, cum lumen participatum sit deficienter ab illo: ac proinde ita potest uniri, ut videatur essentia deficienter, & confusè, modo dicto.

Objicies primo, natura divina est suamet intelligibilissima perfectissima, ergo non potest uniri per modum speciei, quin videatur perfectè, & quidditative. Secundo, species, quæ inservit cognitioni tantùm abstractivæ, vel obscuræ est imperfecta in repræsentando; ergo non potest suppleri ab essentia divina. Tertio, quocumque modo uniat ut intellectui essentia divina, non potest uniri ut præsens, & ut extensus est, & ut talis cognoscitur: ergo talis cognitio non potest esse abstractiva, sed perfectissima & intuitiva.

Solutio. Resp. ad primam distingo consequens, si uniat ut etiam adæquatè & perfectè, qualiter per lumen gloriæ, Concedo. Si deficienter uniat per lumen participatum, & interiori, nego. Defectus enim hujus cognitionis non refertur in essentiam, sed in lumen, quamvis enim DEUS sit summè cognoscibilis, non cognoscitur à nobis, nisi juxta perfectionem luminis vel naturalis, vel supernaturalis; similiter defectu hujus luminis non uniat ut intellectui adæquatè in ratione speciei, sed quoad aliqua generalia, & confusè, licet tunc quoad an est, cognoscatur clarè.

Ad secundam resp. distingo etiam consequens, non potest suppleri ab essentia divina quoad id, quod habet imperfectionis, concedo, quoad perfectionem, nego, species enim creata si daretur, diceret quidem perfectionem in hoc, quod esset repræsentativa DEI, & in hoc suppletur ab essentia divina: diceret tamen imperfectionem in hoc, quod solum abstractivè & confusè repræsentaret, in quo non suppletur ab essentia, sed à lumine ita deficiente, ut non valeat unire essentiam secundum.

Thom. à Jesu Oper. Tom. II.

dum totam suam intelligibilitatem. Ad tertiam resp. distingo antecedens, non potest non cognosci ut præsens & extensus quoad an est, concedo, quoad quid est, existentia. & præsentia habent clarè & distinctè, nego, certificatur enim anima de præsentia DEI, ut Seraphica M.N. sepe fecit, sed quid sit illa præsentia, & existentia non cognoscitur clarè & distinctè, quod necessarium erat, ut esset cognitio DEI perfectè intuitiva.

Q V Æ S T I O IX.

Quare caligo ista dicatur silentii docentis obscura & arcana?

Sicut silentium materiale & vocale potest sumi vel pro carentia omnis vocis etiam in articulatione, vel pro carentia, & tacurnitate vocis articulatione, seu locutionis, vel pro locutione submissa, ut dicitur Joan. 11. Vocavit sororem suam in silentio, accipio. dicens: Magister adest, &c. Vel denique pro virtute silentii, quæ in medio consistit, & non opponitur locutioni necessariæ, moderatæ & prudenti. Sic silentium spirituale, & mentale, de quo est quæstio, vel potest sumi pro omnimoda silentiorum in intellectu, vel pro sola tacurnitate locutionis mentalis, nempe orationis seu petitionis, laudationis & gratiarum actionis, &c. Vel pro inelatione adeo suavi, & simplici, ut comparatur submissæ voci. Vel denique pro prudenti, & moderata locutione mentali in oratione juxta regulas bene orandi, & mediandi passim traditas.

Dicendum est primo, in contemplatione in caligine dati silentium eo sensu, quod præter sensum quietem, sive intentionalem in contemplatione acquisita, sive violentiam in frequentissimo hujus contemplationis infusa, intellectus sine discursu, & sine locutione propriè dicta a carentia acie DEO assistit. Unde Carthusianus citatus quæst. 3. minus approbat definitionem ab aliquibus traditam de mystica Theologia, scilicet, quòd sit secretissima cum DEO locutio: non enim inquit in mystica Theologia dirigitur iugiter sermo mentis in DEUM, sed est ipsa mentis in DEUM desidio, admiratio majestatis, suspensio animi in lumen immensum, &c. Tum etiam, quia actus ipse intellectus, quo DEUM contemplatur, adeo suaviter elicitur quasi nihil operetur, sed (ut Mystici dicunt) patitur divina.

Hoc est ergo silentium, de quo dicitur Apoc. 8. cap. Factum est silentium in celo, quasi dimidia hora. Ubi Gregor. 30. moral. cap. 12. Silentium contemplationis, quia in hac vita non potest esse perfectum, factum dimidia hora dicitur. Nolenti quippe a horæ signum, dam cogitationum tumultuosi se strepitus ingerunt, etiam sublimibus intendentes rursum ad respicienda cordis terrena, oculum violenter trahunt. &c. Hoc est silentium, de quo Sap. 18. cap. Cùm quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, &c. Quia inquit Henricus Harphus lib. 3. Theologiæ myst. part. 3. cap. 23. in caligine cogitationis tenent omnes creature silentium, ubi caliginosa nox suum cursum habere cognoscitur, &c.

Si objicias, silentium istud debere esse non solum à locutione mentali, sed ab omni operatione intellectus. Siquidem S. Dionysius in hoc capite docet Timotheum, ut ad illud tendat, remittendo operationes intellectuales. Resp. intellectum

Multi-plex silentii materiale

Joan. 11.

Silentium quoque spirituale diversimode sumitur.

In contemplatione in caligine datur silentium, &c.

Objectio. Respondo in

M VII. Theologia. Objeciones. Solutio. Quæstio IX. Theologia. Objeciones. Solutio. Theologia. Objeciones. Solutio.

